



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

28. Octobris. Licèt ipsâ naturâ judicii assensus feratur in id, quod sibi veri speciem præbet, tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infers, potest ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

tura, elegerunt, nempe ut pœnas exigerent,  
quas à passionibus, imò & à dæmonibus,  
pati coëgerunt.

28. Octobris,

*Licet ipsa natura iudicii assensus feratur  
in id, quod sibi veri speciem prabet, tamen  
multis in rebus, in quibus videlicet co-  
gnita veritatis evidentia vim illi non im-  
fers, potest voluntatis pondere in hanc  
potius, quam illam partem inclinari. S.  
Ignat. Epist. ad Hisp.*

**U**T oculus ægritudine vitiatus ita  
clare videre se credit, ut nullum rei  
subesse dubium videatur, fallitur tamen,  
sanòque plus, quam sibi, fidere docetur,  
ita & iudicium alieno sæpe satius est sub-  
jicere.

Iniquum sanè tribunal, ubi Iudex idem  
est, & reus; nunquam suo nimium tribuen-  
dum est iudicio; tunc verò minimè, cum  
tua res, aut iudicii ipsius veritas, in qua-  
stionem trahitur.

Nemo ita perspicax, aut tam defacatus  
est iudicii, qui errare non possit, plus vi-  
dent oculi, quam oculus; nec à doctrina  
& ingenio sumenda semper est autoritas,  
eti-

etiam olitor aliquando est opportuna locutus.

Necessaria quidem potentia intellectus est, ita tamen voluntatis imperio subdi debet, ut errori se obnoxium esse conscius, voluntatis nutum sequi non renuat.

29. Octobris.

*Quòd si pax, & tranquillitas animi quaeritur, certè hac non fruetur is, qui habet intra se causam perturbationis, atque tumultus. S. Ignat. ibid.*

**N**ihil in orbe felicius, quàm theatrum infantis conscientiae: nulla libertas major, quàm nihil timere; hanc ille solus obrinet, qui se non timet. Quem reum non agit conscientia, Judicem nullum veretur.

Sicut malè sibi conscio nullum est extrinsecum fomentum, ita bene conscio nullum tormentum. Nec domi, nec foris pax est speranda, ubi bellum tot adversi movent affectus.

Quòd ancipites quotidie agimur, inde fit, quòd hodie nos delectet, quod erat heri fastidio, placeat hodie, quod heri displicuit. Ut navis acta ventis, sic mens passio-